



Ms. 59.3.



DISSERTATIO PHILOLO-  
GICO-THEOLOGICA

De loco vexato

DEUTERON.

XXIX. 19.

QUAM

DEO JUVANTE,

Præside

Plurimum Reverendo &

Clarissimo VIRO

D. JACOBO ELSNER

S. S. Theologiæ Doctore, e-

jusque ut & Philologiæ S.

Professore Ordinario,

Publico examini subicit

BERNHARDUS MAURITIUS OSTERLITZ

Tecklenburgo - Westphalus

Ad diem 24. Martii.

H. L. Q. S.



L I N G Æ.

Apud J. Barth. Stein, Athenæi Typographum.

Anno M.DCCXXI.

297.

ad.

DISSERTATIO PHILOLO-  
GICO-THEOLOGICA

DEUTERON

XXIX. 19.

QUAM

DEO JUVANTE

Plurimum Reverendo &

Christiano Yano

D. JACOBO ELISNER

& S. Theologiae Doctori, c.

inque in & Philologiae &

Prochore Ordinario,

FRANCISCAE AUSTRIAE

H. E. S.



L I N G A

ANNO MDCCLXXI



Illustrissimo atque Excellen-  
tissimo Domino  
MARQUARD. LUDOVIC.

L. B.  
DE

PRINTZEN

Potentissimi PRUSSORUM  
REGIS Ministro Status Inti-  
mo, Supremo Aulae Mare-  
schallo, Ordinis Prussici Equi-  
ti, Regiae Arcis Praefecto, Con-  
sistorii Praesidi, rerum Eccle-  
siasticarum pariter atque Feu-  
daliu Directori, Comitatus  
Ruppinensis & Bellinensis Sa-  
trapæ, Regiarum Academia-  
rum Curatori Supremo, Do-  
mino in Caro &c. &c. &c.

Mæcenati atque Patrono suo Gratiouissimo.

Ut &

Ut &  
Viris Generosis atque Amplif-  
simis, Maximè Venerandis, do-  
ctrinâ & pietate Insignibus  
Dn. De FREIBERG, Ejusd.  
S. R. M. Consiliario Status In-  
timo &c.

Dn. DUHRAM Ejusdem Re-  
giæ Maj. Consiliario Status  
Intimo &c.

Dn. SCHMIDTMAN Consi-  
liario rerum Ecclesiasticarum  
& Pastori Ecclesiæ Parochia-  
lis Meritissimo,

Dn. STEINBERG Consiliario  
rerum Ecclesiasticarum & Con-  
cionatori Aulico Meritissimo.

*Membris Supremi Ecclesiarum Reformatarum Dire-  
ctorii Spectatissimis, Hanc Dissertationem  
In sui studiorumque suorum commendationem  
Summa animi reverentia consecrat  
Bernhardus Mauritius Osterlitz.*



DISSERTATIO PHILOLO-  
GICO - THEOLOGICA

DE

Loco vexato  
DEUTERONOMII

XXIX. 19.

TEXTUS.

והיה בשמעו את דברי האלה הזאת והתחנך בלבבו לאמר שלום יהיה לי  
כי נשררה לבי אלך למען ספות הרה את-הצמחה :

Versio Vulgata:

*Cumque audierit verba iuramenti huius, benedicat sibi  
in corde suo, dicens: Pax erit mihi & ambulabo in  
pravitate cordis mei: & absumat ebria siccitatem.*

A

§. 1.

## §. I.



Uscipimus Bono cum Deo tra-  
stationem Loci omnium fere  
consensione difficillimi, in quo  
exponendo illustrandoque in-  
genii & eruditionis vires pericli-  
tati sunt celeberrimi cum nostra  
tum Patrum nostrorum memori-  
a Interpretes; quorum tamen  
cum tanta hic deprehendatur  
varietas ac dissensio, ut eorum molestum sit dinumera-  
re sententias, idque illis fere acciderit, ut aliorum senten-  
tias oppugnasse feliciter, quam propriam stabilivisse vi-  
deantur, non inuilem curam operamque nostram fore  
speramus, quam in vero hujus loci & posteriorum qui-  
dem verborum sensu eruendo adstruendoque confir-  
mimus. Proponemus itaque omissa aliarum sententia-  
rum recensione nostram sententiam, à nemine quantum  
nobis quidem constat memoratam, ejus tamen inven-  
tionis laudem lubentibus animis cessuri illi, quem in ea-  
dem ante nos sententia fuisse constiterit.

## §. II.

Verba hujus loci posteriora in quibus omnis diffi-  
cultas residet *א-ת-ה-צ-מ-א-ה* ita vertenda esse  
putamus: *Us adiat aut faciat* sc. is qui sibi benedicat  
in



in corde suo *irriguam* ( terram ) *siccantem*. Hanc  
versionem confirmabimus expensa vocum vi & pote-  
state, & illustrabimus.

### §. III.

Voculam *וּלְ* ut notare h. l. seu causam finalem,  
consilium & conatum facile concedent omnes, is enim  
sensus hujus particulæ in S. Scriptura frequentissimus  
est, atque ita occurrit commate nostri capitis 12. ve-  
rum an verbum *וּלְ* addere h. l. significet, in eo dis-  
putatio est; immo Vir de Hebræa Lingua meritissi-  
mus Guffetius *Comment. Ling. Ebr.* ad Rad. *וּלְ* om-  
nem significationem *addendi* ex hac Radice tollen-  
dam putat, ut pote nullo exemplo satis fultam. Sed  
erravit sine dubio Vir Cl. (1) satis evidens *addendi* no-  
tio in hoc verbo est *Jes. xxx. 1.* ubi verba *וּלְ* *וּלְ*  
*וּלְ* aliter verti non debent quam: *ut addant*  
*peccatum peccato*. Vertit quidem Guffetius, *ut consu-*  
*mat* ( vos ) *peccatum super peccatum*, sed difficillime,  
quis non videat potius idem esse, quod alias dicitur  
*וּלְ* *וּלְ* 2. Chron. xxviii. 13. etc. (2.) si *adden-*  
*di* notio tollatur ex hoc verbo eadem phrasin diverso  
modo & difficulter exponi debet, cum ea admissa o-  
mnia sponte fluant, idemque & multo quidem eviden-  
tior sensus obtineat v. c. phrasin illam *Jes. xxx. ex-*  
*ponit Guffetius ut consumat vos peccatum super pecca-*  
*tum*, ut vidimus, sed Num. xxxii. 14. eandem Phra-  
sin interpretatur: *ut pereatis* ( consumamini ) *adhibe-*

propter iram febrile, cum ex illa hypothese vertere  
debuisset: ut confirmatis super iram febrile, quod ni-  
hil significaret. Addendi vero notio ei loco est acco-  
mo latissima, h. m. ut addatis adhuc aliquid ad iram fe-  
brile.

#### §. IV.

Immo vero multo verisimilius est, primariam verbi  
addendi significationem addendi esse, & consumendi aut inter-  
rimenti secundariam duntaxat, ita ut quoties hoc fen-  
su occurrit proprie sit elliptica locutio, dictumque pro  
addere vel adijcere aliquem mortuis, unde tandem ad  
quemcunque interitum translatum est. Quæ conjectura  
inde firmior evadit, quod idem in cognato verbo קָפַח  
obtinere videamus: ejus quippe primaria significatio est  
addere, secundaria consumere & passive interire, mori, con-  
sumi, Num. xx. 26. i. e. adijci ad vitam ante functus.  
plene enim dicitur 2. Reg. xxii. 20. אָמַחַךְ וְאִמְתָּךְ  
אֶת־קְבוֹרָתְךָ בְּשָׂלוֹם ( adijciam te ad patres tuos ( ante mor-  
tuos ) & colligeris in sepulcrum tuum in pace; aut adijci  
ad populum suum ante vita functum, ut suppletur Num.  
xxvii. 13. Psalmo autem xxvi. 9. אֵלֶּיךָ יְיָ אֱלֹהֵי נַפְשִׁי  
כִּי־אֵלֶּיךָ אֶתְּחַנֵּן ( proprie est: ne adijcias mortuis mea cum improbis ani-  
mam meam, quemadmodum קָפַח cum קָפַח constructum  
idem quoque notat Gen. xviii. 23. Cum vero  
hoc quem tractamus hac Dissertatione loco קָפַח sine h  
constructum occurrat, simpliciter vertimus: ut sa-  
ciat

*ciat*, quam versionem hæc phrasis aperte postulat, & in aliis quoque exemplis idem in hoc verbo sensus latet.

### §. V.

Vocabulum *רוי* esse arbitramur Adjectivum femininum, cuius Masculinum *רוי* extra controversiam Adjectivum est, vertimusque *irriguam*, quæ est potior significatio. Sic *רוי גן* Jes. LVIII. II. & Jer. XXXI. 12. est *hortus irriguus*, *רוי* est *rigare* Pf. LXV. II. & Jes. LXV. IO. unde quoque Latinum *Rivus* ortum esse videtur, tamen Græcam ei vocabulo originem tribuat Festus. Subaudimus autem vocem *אין* *terram*, quæ ellipsis in S. Litteris satis frequens est: sic statim sequetur *רוי חרבה* *sitiens* sc. terra, ita Gen. VII. 22. *חרבה* & *חרבה* Exod. XIV. 21. & Gen. I. 9. *יבשה* *arida* vel *sicca*, subaudi *terra*. ut quoque Græce *η ξηρα* sc. *γη* Matth. XXIII. 15. & Hebr. XI. 29. qua in eadem voce ellipsi uti quoque solent Auctores Græci, vide Horatii Vitringæ *Animadversiones ad Vorstium* cap. I. & Latine Quinctilianus eodem modo dixit *SICCA*, *Lib. 12. Institut. Orat. c. II p. 1109.* edit. Burm. In aliis autem frequentissima apud Græcos est vocis *γης* ellipsis, ut cuicumque Lamberti Bos *Ellipses* evolventi apparebit.

B

§. VI.

§. VI.

In voce *הצמאה* *sitiens* subandimus pariter *terram*,  
 ut quoque *Jes. XLIV. 3. Effundam aquas על צמא super si-*  
*tientem* sc. *terram*, & *פועת על יבשה super aridam*.  
 Alias plene dicitur *ארץ צמא*. Intelligitur autem *terra*  
*arida* *pluviam* & *aquam sitiens*, quomodo etiam  
 per *יבשה* exponitur *Jes. XLIV. 3. & Ezech. XIX. 13*  
 conjungitur *צמא וצמא ארץ צמא arida terra & sitiens*.  
*Deut. VIII. 15. vocatur צמאן ubi nulle aquae*. Hinc  
*LXX. Interpretes* sepiissime vertunt *γῆ ἐρηώσαν*.  
*Clemens autem Alexandrinus Lib. 1. Stromat. p.*  
*317. dixit ἐρηώσαν γῆν*. Latini etiam *aridam* *terram sit-*  
*iculosum solum*, & *sitire* dicunt: *Ovidius Lib. 15. Me-*  
*tam. v. 268.*

*Equae paludosa siccis humus aret arenis:*

*QUAEQUE SITIM TULERANT, stagnata palu-*  
*dibus hument.*

*Virgilius Ecloga 7. v. 57.*

*ARET ager vitio moriens SITIT aëris herba.*

*Quare & bibere dicitur terra pluviam* *Heb. VI. 7. &*  
*ab Anacreonte Ode 19. v. 63.*

*Ἡ μέλαινα πίβει*

*Terra nigra bibit, & Tibullo lib. 2. Eleg. 1. v. 44.*

*Tunc bibit irriguas fertilis hortus aquas.*

*Quia autem terra sitiens i. e. pluvia & fontibus destituta*  
*tandem inculta evadit & ab incolis deseritur*  
*עונית היא תאבא, vide Lucian. Dipsad. p. 652. inde*  
*etiam terra sitiens solitudinem desertam denotare fre-*  
*quent.*

quenter solet, vide Jes. xxxv. 6. & Psalm. cvii. 35. & sicut vocatur *ubi nulla aqua* Deut. viii. 15. videndus est Bochartus *Hieroz. Part. 2. Lib. 3. Cap. 8.*

### §. VII.

Deinde Proverbialem dictionem esse putamus *sitientem terram facere irriguam*, deque eo usurpan, qui sibi benedictionem & felicia quævis promittit, cum ob scelestam vitam & divinæ Legis contemtionem nihil nisi Dei maledictio & gravissimæ pœnæ Legis violatoribus denunciata eum maneant. Id evidenter ostendunt proxime antecedentia: Sermo enim est de homine, qui *relicto Deo Israël se confert ad cultum Idolorum gentium* v. 17. quique *cum audit verba maledictionis* & pœnas tantæ impietati destinatas sibi tamen *benedicit in corde suo* i. e. felicia quævis & fausta promittit, seque nihilominus *beate victurum sperat*, id quippe valet *וַיְהַיֵּךְ* vide Gen. xxii. 18. Psalm. lxxii. 17. itaque hoc modo dicitur *terram sitientem irriguam facere*.

### §. VIII.

Cujus dictionis hæc est ratio (1) quod *terra irrigua benedictionis & prosperrimi status* appositum & frequens emblemata est in S. Scriptura. Ita Jes. lviii. ii. homini benigno & egenis liberaliter opibus suis succurrenti benedictio & prosperrima conditio sub hoc em-

blemate promittitur : *Et ducet te Jehova semper & satiabit in siccitatibus animam tuam & ossa tua instruet, erisque* כן כן *ut HORTUS IRRIGUUS, & ut scaturigo aquarum cujus aqua non deficiunt.* conf. Prov. xi. 25. vide & Jer. xxi. 12. Inde ager crebris fontibus irriguus vocatur ברכה *benedictio* Jos. xv. 18. & Jud. l. 15. idem enim ibi est, quod גור נים, opponiturque *terra Australi* ארץ חנוך h. e. *sicca & arida*, quod patet ex Psalm. cxxvi. 4. Et Gen. xxvii. 27. *odor agri cui benedixit Jehova*, ejus agri est, qui *immaduit imbre*, cujus *suaavissimus* est odor experientia teste, & Plinio *Hist. Nat. Lib. 17. cap. 5.* sic quoque Deut. xxxiii. 13. *terra copiosis imbribus rigata benedicta* audit.

§. IX.

Paradisus etiam gratissimus ille hortus, ubi beatam vitam vivebant olim Parentes nostri, quique coeli *benedictorum* Matth. xxv. 34. & consummatae felicitatis loci perpetuum symbolum est, variis fluminibus rigabatur Gen. ii. 10. adeo ut *terra* demum *irrigua* קרח illi *horto Jehova* similis dicatur Gen. xiii. 10. caelesti itidem Paradiso eximius *fluvius aquae viva* tribuitur Apoc. xxi. 1. 2. Unde factum est, ut & Elysios Campos ad Paradisi similitudinem fictos perennes fluvii ex Profanorum sententia rigare debuerint: Aeschines *Socraticus Dialogo 3. c. 20. p. 164.* ex narratione Gorbryæ magi: *ένθα πηγαι ύδατων καθαρων ρεεισι, παντοιοι δε λιμωνες ανθεσι ποικιλοις εαριζομενοι, ibi fontes aquarum* πίσ-

*purarum fuisnt, & omnigena prata floribus variis ver-*  
*nantia. & apud Virgilium Lib. 6. Aeneid. v. 673. ita*  
*de se alii que Beatorum Camporum incolis Musæus:*

*Nulli certa domus, lucis habitamus opacis,*

*RIPARUMQUE TOROS ET PRATA RECENTIA RIVIS*  
*Incolimus.*

§. X.

Pluvia denique terram uberrime perfundens ברכה  
*benedictio* appellatur Mal. III. 10. *Si non aperiā vobis*  
*catarractas calorū, & effundam vobis BENEDICTIO-*  
*NEM.* & Hebr. VI. 7. *עליוּוּיָא.* accipit (terra) *bene-*  
*ditionem* i. e. uberrimam pluviam à Deo, est enim op-  
 positum *עַסְוָוָא* v. 8. *estus adurens.* hinc & expref-  
 sius dicitur ברכה גשמי *imbres benedictionis* Ezech. xxxiv.  
 26. vide & Gen. XLIX. 25. Israelitis vero peculiari ra-  
 tione pluvia *benedictio* erat, quia RARI in Palæstina IM-  
 BRES, auctore Tacito Lib. 5. *Histor. c. 6.* vide & Coto-  
 vici Itinerarium p. 242. & inde omnis agri fertilitas depen-  
 deret, cujus proventus Judæorum mercaturæ non-  
 dum assuetorum divitias constituiebant, hinc eorum  
*thesauri erant frugum acervi*, quod ostendi in *Obser-*  
*vationibus meis ad Matth. VI. 19.*

§. XI.

Contra (2) sicca & arida terra calamitatis & ma-  
*ledictionis divinae* emblemata fati obvium est. Sic cala-  
 mi.

mitosissima Israëliitarum in fervitute Babylonica conditio vocatur *terra arida & sitis* Ezech. xix. 19. & Ies. xxxv. 1. afflicta Ecclesia per *desertum & aridam* deli- gnatur. Gentes autem salutari Dei cognitione destitutæ ejusque maledictioni subjacentes sæpius cum *deserto* comparantur in Scriptis Prophetarum. Ideo quoque fiebat, ut cum solemnes illæ benedictiones de monte Garizim pronunciarentur, qui mons erat uberrimæ fertilitatis & amoenissimis fontibus irriguus, execrationes in monte Ebale sancirentur Deut. xxvii. 4. monte scilicet sterili & inculto & vastis rupibus horrente, vide Cl. Relandum *Dissert. Miscell. de Monte Garizim*. Quare etiam Pluvie inopia indignationis divinæ argumentum erat, vide Ezech. xxii. 24. hinc David montanis Gilboæ maledicturus orat: *ne rore aut pluvia irrigentur* unquam 2. Sam. i. 21. Perinde ut Profani quoque Pluvie defectum ab iratis Diis proficisci credebant, hinc ad averruncandam Deorum iram supplicationes institutæ, vide Lomeier *de Lustrationibus cap. 10. p. 108.*

## §. XII.

Ex eadem ratione Diabolo in Deserto domicilium toties assignatur in Sacris Litteris: in deserto Christum tentasse legitur Diabolus Matth. iv. 1. Spiritus iste impurus vagatur *δι ἀνύδρων τόπων* Matth. xii. 43. & homines a Dæmonibus exagitati petunt desertum Luc. viii. 29. Dracones denique Diaboli antiqui Draconis Apoc.



Apoc. XII. 9. imagines amant solitudinem, vide Bochart. Hieroz. P. 2. Lib. 3. cap. 14. Quæ sententia pervulgata itidem erat Gentilium: hinc *loca deserta Demonum sedes* credita, auctor est Plutarchus de Defectu Orac. P. 419. ex narratione Demetrii Grammatici: *περὶ τῆς Βρετανικῆς νήσων εἶναι πολλὰς ἰσημερῆς σποράδας ἀν' ἐπὶ τὰς δαυμῶνων ἔρημῶν ἐνομαζέσθαι, insulas circa Britanniam esse multas hinc inde sparsas earumque nonnullas Demonum & Heroum vocari; & Arabes in solitudine Demonum subinde voces audiri existimabant, apud Bochartum Hieroz. Part. 1. Lib. 2. cap. 35. p. 643. alia loca attuli in Observationibus meis ad Luc. VIII. 29. Satyrorum in primis patria erant *deserta insula*, si credimus Pausanix Atticis cap. 23. p. 54. quare Babylo- ni summa solitudo denunciatur, quando Ies. XLII. 21. *sedes Syrorum* fore dicitur, consule ad hunc locum Commentarium Cel. Vitrinæ.*

### §. XIII.!

Inferni quoque, ubi perpetuæ *maledictorum* sedes Matth. xxv. 41. *desertum & aridum est solum*, quoniam æterno ira Dei usque ad infima Tartari penetrantis. æstu torretur Deut. xxxii. 22. *ibique lacus est igne & sulphure ardens* Apoc. XIV. 10. 11. & XXI. 8. Perinde atque Sodomica terra igne & sulphure à Deo immisso facta est *κεκαυμένη γῆσσα tota adusta*, vide Josephum Lib. 5. de Bello Jud. c. 5. p. 892. unde terra, quæ ob incolarum scelera nimio solis ardore uritur & *deserta*  
eva.

evadit cum Sodomitica comparatur Deut. XXIX. 23. quo respicit Apostolus, cum terram, quæ maledictioni vicina est, vergere eis *ναῶν* ad exustionem dicit Hebr. VI. deserta enim Solis aestu vehementius uruntur. Exempli loco sint *Sogdianorum deserta* apud Curtium *Lib. 7. cap. 5.* Per quadraginta stadia ne modicus quidem humor existit. Arenas vapor aestivi Solis accendit, quæ ubi flagrare cæperunt, haud secus quam CONTINENTI INCENDIO CUNCTA TORRENTUR. vide & *Lib. 4. cap. 7.* inde vocatur *ἡ διακεκαυμένη* terra perusta à Luciano de *Dipsad.* p. 652. Profani pariter apud Inferos ponebant *ποταμὸς φλεγόμενος*, & *ποταμὸς πυρὸς*, Plutarchus de *audiendis Poëtis* p. 17. h. e. *flumina flagrantia igne*, ut dixit Seneca *Consol. ad Marciam cap. 19.* & *τόπος ἀγρίος*, Plutarch. de *Superstit.* p. 167. h. e. *loca tetra INCULTA fæda atque formidolosa*, ut Cato loquitur apud Sallustium *Bello Catilinario.*

#### §. XIV.

Hinc ( 3 ) calamitates finire felicitate, & maledictionem in benedictionem convertere dicitur *terram sitientem aut desertam irriguam facere.* *Jes. LI. 8.* Nam *Jehova consolatur Zionem, consolatur omnia loca ejus desolata; & posuit desertum ejus instar Edenis, & solitudines ejus ut hortum Jehovæ.* *Ibid. cap. XLIV. 3.* *Effundam aquas super sitientem & flumina super aridam ( terram ) effundam Spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super propaginem tuam.* Pari-

Pariter Ies. xxxv. 6. hac figurata locutione læta pristinæ fortis mutatio promittitur: *Eruunt in Deserto aqua & torrentes in solitudine. Eritque aestuosa in stagnum & siticulosa in scaturigines aquarum.* vide & Ies. xxxii. 15. Psalm. lxxviii. 10. &c. Præsertim si observetur, ea loca cum de Ecclesia Judaica intelligenda esse, quæ angebatur *execrationibus* Legis Deut xxvii. fanaticis, quamdiu vigebat ἡδυστορία τῆς κατὰ νόμον 2. Cor. iii. 9. & de illis præsertim qui in Lege iustitiam quærebant, si enim erant ὄνο κατὰ νόμον Gal. iii. 10. tum de omnibus populis mundi, qui maledictioni divinæ subiecti erant tanquam *filiis iræ* Eph. ii. 3. & *spedesituti* v. 12. atque propterea *terra sitienti & deserta* similes vocari; sub Novo autem Testamento benedictionem per Christum allatam esse, cum Judæis Act. iii. 26. tum omnibus familiis terræ Gal. iii. 8. 14.

## §. XV.

Ex hætenus dictis satis apparet, vere & eleganter à Mose *terram sitientem irriguam facere* eum dici, qui benedictionem & prospera quævis sibi pollicetur, cum nonnulli tristissimum rerum suarum statum metuere deberet. Proinde duplici modo hæc verba accipi possunt. (1) Ita ut per *terram irriguam & sitientem* proprie dicta *terra* intelligatur, sensusque sit: ejusmodi hominem sibi persuadere, agrum suum irriguum & fertilissimum fore, etsi Deus summam ei sterilitatem & exustionem ob domini scelus in Lege prædixerit. Quo modo per-

C

tine.

tinebunt hæc verba potissimum ad Israelitas, quibus singulari ratione si Legis forent tenaces imbrium abundantia & summa agrorum fecunditas promissa erat, Levit. xxvi. 3. 4. *Si in statutis meis ambulaveritis & mandata mea observaveritis & feceritis, dabo pluvias vestras tempore suo, & dabit terra proventum suum, & arbor agri dabit fructum suum.* vide & sequentia, & Deut. xxviii. 11. 12. atque ita BENEDICTIONIS iis obvenire Deut. l. c. v. 2. & v. 3. BENEDICTI in agris dicebantur. Contra ob Legis Mosaicæ violationem pluvix inopia & agri ingens & continua sterilitas denunciabatur, vide Levit. xxvi. 14. 19. & Deut. xxviii. v. 23. 24. *Erunt cali tui, qui sunt supra caput tuum as, & terra, qua est sub te, ferrum. Dabit Jehova pluviam ( loco pluvix ) terra tua arenam, & pulvis è calo in te descendet, donec deletus fueris. Eoque modo maledictiones eos assequi dicuntur v. 15. & 16. Quodsi non obsequaris voci Jehova Dei tui, ita ut serves & facias omnia ejus mandata & statuta, qua hodie tibi præcipio, & evenient tibi omnes hæc execrationes teque assequentur. malcaictus eris in urbe, MALEDICTUS EN AGRO.*

## §. XVI.

Hanc expositionem firmat tum nexus qui intercedit inter capita Deut. xxviii. & xxix. & ea quæ h. l. subsequuntur: is enim harum execrationum effectus forte prædicitur v. 22. ut *terra eorum sulphur fieret & sal*

*Et exustio, in qua neque sereretur, neque progerminaret quidquam, neque herba cresceret. scilicet in causa est, quia exarsit ira Jehovæ in terram illam, in eamque immisit omnes maledictiones scriptas in Libro Legis v. 26. tum Historia Sacra, quæ pluviarum inopiam & sterilitatem terræ Israeliticæ ob incolarum scelera immisissam fuisse testatur 1. Reg. xvii. 1. Hagg. i. 10. 11. Malach. iii. 9. 11. Nunquam vero graviore Terra Israelitica sterilitate & vastatione oppressa jacuit ea, quæ hodie adhuc in illa Regione conspicitur: tam horrida enim est Terræ illius hodierna facies, & vastæ ubique rupes, inculti montes (quos olim tamen fertiles fuisse apparet) & terribilia præcipitia oculis sese objiciunt, ut tæter & fœdus ejus adspectus hominum animos graviter percussat, immo aliquantum dubios teneat, an hæc illa terra esse possit, cujus amoenitas fertilitasque tantopere olim celebrata, tamque ingenti incolarum multitudini a-lendæ suffecerit, ut docet testis αὐτῶν Eruditissimus Maundrellus in Itinerario suo.*

## §. XVII.

Sic impletum videmus, quod tot ante seculis Moses prædixerat hoc capite v. 21. & Levit. xxvi. 32. ita *vastabo terram, ut propterea hostes vestri, qui eam incolent, obstupescant.* Inde quoque colligimus, summum & paridololatriæ scelus Judæorum hanc Palæstinæ horrendam vastitatem induxisse: idque aliud esse non posse, quam quod *rupem salutis* spreverunt Deut. xxxi. 1.

17. conf. Matth. XXI. 42. 1. Pet. II. A. & sibi benedixerunt in animis suis, *terramque irriguam facere conati sunt*, perpetua & beata terræ suæ possessione stulte sibi promissa si Christum abiecissent Joh. XI. 48. 50. ideo *domus & patria eorum deserta relicta* Matth. XXI. 37. 38.

### §. XVIII.

Deinde quoque ( 2 ) *terra sitiens* h. l. denotare potest ipsum improbum hominem, de quo hic sermo est, ut dicatur: ejusmodi hominem illa felicitatis promissione animum suum, qui terræ aridæ & *sitienti* similis & exustioni destinatus esset, solatio & voluptate perfundere, atque ita *irriguum* efficere conari. Id suadere videntur verba v. 20. sequentia. *Nolet Jehova ei condonare, sed tunc fumabit ira Jehova ejusque zelus in virum illum, ET INCUMBENT EI OMNES EXECRATIONES scripta in hoc libro, & delebit Jehova ejus nomen sub calo.* vide & v. 21. itaque ipse homo ille impius terra sitiens & exusta fore dicitur, quoniam æstus iræ Jehovæ & maledictiones ei incumbunt. Solent quippe peccatores ob suam impietatem sæpius cum terra *sitiente, arida & deserta* comparari in S. Litteris: ita Gentes *desertum & arida* vocantur Jes. xxxv. 6. de improbis Istraëlitis memorabilis est locus Jes. xxiv. 5. *Transgressi sunt Leges, immutarunt statutum, irritum fecerunt fœdus æternum. Ideo execratio comedit terram, & rei sunt habitantes in illa, IDEO חרו ושביו אדורון*

ADURON.

RINANTUR INCOLE TERRE, & reliquum est hominum pa-  
 ssum.

§. XIX.

Nempe animus peccatoris est *arida terra*, vero bono & solido gaudio quo perfundi & recreari posset deflitutus, etiam si Manna vesceretur, tamen ejus anima foret *אֲרִיבָה arida* Num. xi. 6. *ut hortus nulla irriguus aqua* Jes. i. 30. est *terra sitiens*, quærit bonum, quærit felicitatem, sed non invenit, similis est Spiritui illi impuro *δι' ἀνιδρωτον τόνων* vaganti, requiem & solatium quærenti, sed non inveniendi Matth. xii. 43. *nulla pax ait Jehova impiis* Jes. xlviii. 22. itaque est *inculta terra* nulla ibi herba, nullus justitiæ fructus Phil. i. 11. pro uvis labruscæ Jes. v. 2. *ut terra maledicta spinas & tribulum producens* Gen. ii. 17. 18. Hebr. vi. 8. est *desertum*, mansio Diaboli Eph. ii. 2. & destinatus ad exustionem Matth. xxv. 41. Ratio est (1) defectus Gratia Divina: peccata hominem separant à Deo Jes. lix. 2. apud quem est *מקור חיים* *fons vita* Psalm. xxxvi. 10. est *exhops bes invisus* Deo Rom. v. 10. atqui gratia Dei est *instar rovis & pluvie* Hof. vi. 4. *qua perfunduntur pii* Psalm. xxi. 11. 2. & xxxvi. 8. 9. *Jehova eos rigat* Jer. xxxi. 25. *ita ut non sitiant in desertum* Ioh. iv. 14. ubi ea deest nihil nisi *sitis* Jes. lv. 1. *pellis Gideonis rore coelesti madet* tota terra sitiente Jud. vi. 37. (2) præsentia iræ & maledictionis Divinae: *sumat in peccatorem ira Jehova, ejus maledictiones*

nes incurbunt ei. ἡ ὄργη τῶ θεῶ μένει ἐπ' αὐτὸν Joh. III. 36. hæc causa est, ut omnes ejus voluptates & gaudia in fumum abeant, & nullus rei jucundæ sensus ad animum pertingat, *ardet ira Dei, & non est qui extinguat* Jer. I. 31. Jer. XXI. 12.

## §. XX.

Et tamen eo stultitiæ & insanitiæ progreditur ut sibi benedicat, ut felicitia quævis & fausta promittat: quidquid Deus contra minatur, quicumque tandem iræ divinæ, in ejus animo, si adrendat, sensus sit, tamen dicit *pax pax* Jer. VI. 14. falsa esse putat quæ Dei nomine dicuntur Jer. XLIII. 2. aut etiam si Deus dixisset nihil se tamen moturum Jer. XLIV. 16. immo tam insanus est, ut nihil æque à ratioibus suis alienum, nihil tam gaudio & felicitati suæ inimicum putet, quam Deum & Religionem: *transposuistis* exprobrat cum Vellejo ap. Ciceron. de Nat. Deor. iis qui Deum ejusque cultum docent, *in cervicibus nostris sempiternum Dominum, quem dies & noctes timeremus.* Religio ei est *metus rerum invisibilium*, unde *nullum* omnino *commodum sperandum* Mal. III. 14. 15. omnes calamitates in Religionem refundit: *ex quo omisimus adolere Regina calidæ, & libare ei libamen, destituti fuimus omnibus, & gladio atque fame consumsumus.* Jer. XLIV. 18. itaque nihil consultius ducit, quam Deo relicto ejusque minarum nulla ratione habita contendere in Ægyptum, sic se demum beatum fore Jer. XLII. 14. *hic terram sitientem*



tem irriguam facit; at Deo scaturigine vivarum aquarum relicto cisternas invenit fractas quæ non capiunt aquas Jer. 11. 13. irriguam facere conatur *sitientem*, quæ sitit, semperque est utim latura, etiam si omnes aquæ totius mundi affundantur, tamen non tolletur sitis Jes. LV. 2. *ru sus sitiet* Joh. IV. 13. ut ex somno expèrgefactus, qui se bibere crediderat, mox *animam vacuum & sitientem* deprehendet Jes. XXIX. 8. nam soli *servi Fehovæ bibent*, *ceteri omnes sitient* Ib. LXXV. 15.

## §. XXI.

Ufus hætenus dictorum est, ut abiciamus stultissimum & pestilentissimum errorem, qui hodie tamen plurimorum hominum animos occupavit, quasi nonnulli Dei reverentia & sincera pietate neglecta beatis nobis in hac vita esse liceret. Sane numquam magis deplorata est hominis conditio, quam ubi sibi felix & beatus extra verum Divinæ gratiæ sensum videtur. *Fubilatio improborum ex probrinquo* (nova) est, & *latitia hypocrite ad momentum*. *Jobi xx. 5.* Nos (1) *trepidemus ob verbum Dei* Jes. LXVI. 2. (2) agnoscamus nostram miseriam, ut pote qui sumus in *terra arida & sitis*, omni bono & gaudio creaturam ratione præditam decepte destituti; solus Deus, qui animum creavit, *amplum* ejus or, & insatiabile desiderium implere potest Pl. LXXXI. 11. itaque (3) *sitiat* anima nostra *Deum* Pl. XLII. 3. & *justitiam, sic satiabitur* Matth. v. 6.

## Corollaria

I.

Qui asserit, homines credidisse dari Deum ex traditione, quemadmodum Socinus contendit, eo ipso Theologiam naturalem esse docet.

II.

Deus est unus unicus & simplicissimus, & tamen Triunus.

III.

Deus est comprehensibilis & non comprehensibilis.

IV.

Decreta Dei sunt aeterna.

V.

Papa Romanus ex propria confessione est Antichristus.

VI.

Est unica dumtaxat vera Ecclesia nota, nempe conventientia cum verbo Dei.

VII.

Electio aeterna non est ex fide praevisa.

VIII.

Christum pro omnibus peccatis peccatoris loco satisfacisse & mortuum esse assero.

IX.

Peccati originalis imputatio mediata evidenter praesupponit imputationem immediatam.

Fd 2087

ULB Halle

3


004 222 318



sb.







DISSERTATIO PHILOLO-  
GICO - THEOLOGICA

De loco vexato

DEUTERON.

XXIX. 19.

QUAM

DEO JUVANTE,  
Præfide

Plurimum Reverendo &  
Clarissimo VIRO  
D. JACOBO ELSNER  
S. S. Theologiæ Doctore, e-  
jusque ut & Philologiæ S.  
Professore Ordinario,

Publico examini subji-  
citur  
BERNHARDUS MAURITIUS OSTERLITZ  
Tecklenburgo - Westphalus  
Ad diem 24. Martii.  
H. L. Q. S.



L I N G Æ.  
Apud J. Barth. Stein, Athenæi Typographum.  
Anno M.DCCXXI.

297.

ad.

